UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia xi. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritate[m] meam &c. liiij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

& nos in illo diligit, quàm vllus homo quamlibet generoſus. Hæc itaque conſolatio ſola omnes mundi moleſtias leuare, & animos in deſperationis præcipitium vergentes, reuocare poteſt: quæ animo obuerſari debet quoties vel conſcientiæ horribiles tentationes, vel alia quæcunque nos vexant aduerſa.

SENTENTIA XI.

Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

PARACLESIS.

CAPVT LIIII. *CVm pro diſcipulis, imò verò pro vniuerſis erauerit, charitatémque Patris, vnionem ac ſanctifica-*
Cyrillus lib. 11. cap. 28. in Ioan. *tionem petierit, iſta ſubiunxit. Vt non alios ſecum futu-*
ros, gloriamq́; viſuros, quàm eos oſtendat, qui per ipſum
Patri coniuncti, eo amore diliguntur, quo ipſe quoque
amari præcipitur. Diligimur enim vt filij: ad ſimilitu-
dinem filij naturalis. Nam etſi non æquali menſura, ta-
men exquiſita imitatio rei, veritati quodammodo exæ-
quari videtur. Volo igitur, inquit, vt qui per illumina-
tionem fidei mihi abs te dati ſunt, mecum ſint: & glo-
riam meam videant. Quæ autem oratio, quàm ſuaue
1. Cor. 15. *ſit eſſe cum Chriſto, explicabit! Ineffabilia certè ſunt:*
nec oculus vnquam vidit, nec auris audiuit, nec in cor
hominis aſcendit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe.
Philip. 1. *Quid enim maius, quàm eſſe cum Chriſto? melius eſt*
reſolui, & eſſe cum eo, vt Paulus ait. Quibus ille ver-
bis, etiam huic vitæ dignitatem amicorum Dei prępo-
1. Theſ. 4. *ſuit: quæ eſt (vt alibi teſtatur) eſſe cum Chriſto. Reſur-*
gent enim mortui, ait, & nos ſimul cum illis rapiemur
in nubibus obuiam Chriſto in aëra: & ſic ſemper cum

Domino

Domino erimus. Conformes erimus gloriæ ſuæ, conregnabimúſque ſecum ſecundũ Scripturas, vnaq́; recumbemus cum eo in regno cælorum. Saluator etiam alibi, Vado, inquit, & præparabo vobis locum: vt viam vobis faciam, & inuium iter præparem. Vado enim lauare vos à peccatis veſtris in ſanguine meo: vt digni ſitis intrare in illas ſydereas manſiones. Et iterum veniam, & accipiam vos mecum, vt vbi ſum, & vos ſitis. Huc pertinet quod in Apocalypſi dicitur: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Item quod de cœleſti ciuitate in Ezechiele ſcribitur: cuius nomen, DOMINVS IBIDEM. *In hanc S. Ciuitatem aditum paratum habent omnes illi, qui fide muniti, & ſpe roborati, in charitate hinc migrant. Atque illic nullo dolore preſſi, nullis tenebris circumfuſi, nulla deformitate maculati, ſed cœleſti gaudio adimpleti, admirabili ſplendore illuſtrati, eximia pulchritudine amicti, ſummum illum cæli terraq́; moderatorem & Regem in decore ſuo videbunt: & omnium bonorum affluentia cumulati, diuino numine in omnem æternitatem fruentur. Dominus enim ibidem, Deus omnia in omnibus. Reſpice Sion, ait Eſaias, ciuitatem ſolennitatis noſtræ: oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Ibi magnificus eſt Dominus noſter. O ciuitatem cœleſtem, quam præparauit Deus diligẽtibus: quæ nec ruina labefactatur, nec vetuſtate conſumitur. O vitam felicem, ô regnum verè beatum: quis mihi cõcedet vt ad te corporis vinculis ſolutus euolem, & angelorum ſociatus choris Deo meo ſuaues perennéſque hymnos concinam de canticis Sion? Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animã meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſ-*

2. Tim. 2. — Ioan. 14. — Apoc. 1. — Apoc. 21. — Ezech. vlt. — 1. Cor. 15. — Eſa. 33. — Pſal. 136. — Pſal. 41.